

bet enim circulorum prædictorum una medietas est in parte nobis orientali, & alia medietas est in parte nobis occidentali, præter circulum meridiei & mediæ noctis. Similiter cuiuslibet eorum una medietas est super terram & alia medietas est sub terra, sicut dictum est supra. Sed sciendum est quòd in istis tabulis describuntur duplices quotæ circulorum horarum, uidelicet rubæ & nigræ. Quotæ rubæ deseruiunt medietatibus superioribus circulorum horarum, & horis diurnis. Quotæ uero nigræ deseruiunt medietatibus eorundem inferioribus & horis nocturnis, cum in directiõne uel in projectione radiorum proceditur secundum successus signorum. Sed cum proceditur in eis contra successus signorum econuerso quotæ rubæ deseruiunt medietatibus inferioribus prædictorum circulorum & horis nocturnis, nigræ uero deseruiunt medietatibus eorundem superioribus & horis diurnis. Item sciendũ est quòd prædictæ quotæ taliter ordinatæ sunt in prædictis tabulis, q̄ cõputatio prædictorum circulorum horarum fieri potest ab alterutro duorum angulorum includentium quamlibet quartam, altera tamen directæ, altera uero conuersa.

Sextum capitulũ. De modo dirigendi per dictas tabulas.

EXpediti de forma & compositione tabularum prædictarum consequenter uideamus de modo operandi per eas. Et primo de modo dirigendi. Secundo uero de modo inueniendi, proijciendi & extendendi radios & aspectus. Cum igitur uolueris per prædictas tabulas aliquem significatorem dirigere, æqua idem ad latitudinem regionis, ad quam compositæ sunt huiusmodi tabulæ directionũ, secundum quòd docetur in canonibus primi mobilis, postea scias ascensiones, cum quibus significator dirigendus transit per locum suum, siue fuerit in angulis, siue extra angulos. Similiter scias ascensiones cum quibus planeta uel stella ad quem uolueris dirigere, transit per locum ipsius significatoris. Et quod fuerit inter eos de gra. & minutis ascensionum
serua